



DE POESI 16
SCIENTIARVM DISCIPLINAE ACCVRATE TRADENDAE

NON APTA

P R O L V S I O

Q V A

A D A V D I E N D A M H . L . Q . C .

D . X I I . F E B R .

ORATIONEM ADITIALEM

PROFESSIONEM POESEOS ORDINARIAM

A V S P I C A T V R V S

I N V I T A T

C A R O L V S A N D R E A S B E L

A . M . C O L L E G . M I N . P R I N C . C O L L E G I A T V S , E T

N A T I O N I S B A V A R . S E N I O R

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L O E P E R I A .

of. Ich Cor. Schwanzy Oratio qua Petrus institutio magis a Poetis
quam a Philosophis petenda esse negatur; Coburg 1727



Dudum est, quod poetae a veritatis preconio ac disciplina remoti, quod eorum fides, seueritas, et diligentia suspecta, quod ingenii luxuriantis lusibus ars eorum fuit circumscripta. Hinc orta sine dubio vulgaris illa opinio, quam nostro saeculo, quo omnia ferre Carmina Bacchi et Veneris plena sunt, multorum ore ac sermone ferri audiuimus: nihil accurati, atque vere eruditи dici a poetis posse; res seuerioris doctrinae, philosophicas, historicas, aliasque, quae scientiarum nomine veniant, a poetis relinquи intactas oportere. Eius rei cogitatio ante hos aliquot menses animum tetigerat, cum AVRELIUS IANVARII, ICti Neapolitani celeb, feriae ICTorum autumnales, ipsius V. C. munificentia nobis traderentur. In eo enim libro, inter alia quoque, Auctor doctissimus, praedclaro sane

A 2

ac

ac felici ausu, Regulas Iuris, quae Digestis adiectae sunt, Versibus Hexametris inclusit, tali quidem elegantia, vt vim poeticam teneret; et tali acumine ac diligentia, vt sententiam et pene ipsa verba Regularum vbique assequeretur. Interim tamen, cum istam V. C. rationem a nonnullis reprehendi audiremus, et ipsi quoque non adeo commode fieri posse putaremus, vt res tam tenues, tam seuerae, tam omnis ornatissimae impatientes, carminum elegantiam caperent, quin contextus ipsius ratio paullulum certe immutaretur atque infringeretur: visum est nobis, hac tam commoda occasione oblata, cum poetarum explicandorum prouincia nobis publice esset commissa, de vniuerso hoc arguento breuiter exponere. In quo quidem tractando ita versabimur, vt omnino quaeramus: *an rebus seueris, atque ad artes et scientias pertinentibus, apta poesis sit?* Neque vero id nobis sumimus, vt rem totam confecisse videamur, sed vt ea tantum, quae nobis, temporis angustia exclusis, morbo oculorum grauissimo impeditis, et armorum quoque strepitu perturbatis, quasi tumultuario in mentem venerint, succincte exposuisse putemur.

In hac autem quaestione explicanda opus esse ante omnia videtur, vt constituamus, in quo vera vis ac natura insit artis poeticae, qualeque sui discrimen ac diuersitatem, a soluta oratione, haberi velit. Ea res diu multumque inter doctos homines agitata, et nunquam facile dirimenda, nos quoque valde dubios habuit. Alii enim in colore quodam orationis, vigore, magnificentia et splendore; alii in solis numerorum legibus, metrorumque vinculis; in utroque alii coniunctim, hoc discrimen ponunt. Ac priori quidem sententiae vindicem non contemnendum esse praebuit H O R A T I V S; cuius de ea re longa est in *Sermonibus* disputatio. * Diserte autem eo loco ab*audi-*

* Lib. I, 4. v. 39 - 62.

iudicare ei nomen poetae videtur, qui nil aliud, quam puris verbis versum componat, *pede certo sermoni differentem*; cum potius acer spiritus, et quidam quasi furoris afflatus adhibendus sit, sine quo poeta nemo existere possit. Quod tamen sine dubio hic vel deridendi causa dixit, vel pudori et modestiae magis dedit, quam veritati, aut sententiae suae. Quem enim haberi sese, in hisce sermonibus atque epistolis, nisi poetam, vellet? Prosaicum ergo scriptorem? Vtitur sane oratione tenui, et familiari vitae apta: sed tamen *pede certo sermoni distulit*. Nonne tali pacto, **PLAUTVS, TERENTIVS,** et reliqui Graecorum et Latinorum Comici, apud quos, nisi quod versiculi sunt, nihil quotidiani sermonis est dissimile, et quos tamen, initio huius Eclogae, **HORATIVS** ipse poetas vocat, ex horum numero essent exterminandi? Nam si quis eos ob fabulas tantum, quas finxere, dignos hoc nomine putauerit, id cum multis aliis scriptoribus commune habebunt; et tum quoque interpres horum poetarum, qui argumenta illorum illustrarunt, poetae erunt dicendi. Nemo certe poetam vocauerit, qui vel magnificentissimam ἐποποίαν, vel elegantissimam atque lepidissimam fabulam, vel τραγυωτάτην historiam, sermone soluto exponat, quamvis dictiōnē eiusmodi scriptoris poeticā appellaueris, id est digniorem, quae *pede certo*, vt ait **HORATIVS**, concludatur. Prorsus itaque nobis videtur, si quid certi constituendum sit, quo semper et ubique agnoscatur poesis, et ab alio quoconque orationis genere χαρακτηρισθεatur sciungatur, non in alia re, aut in alio signo, nisi in metris, numeris, ac pedibus, ipsa natura poeseos, verum ab omni reliqua oratione discrimen, collocandum esse. Nam e reliquis signis, quibus distingui ac notari poesin velis, nullum repieres, quod illi non cum omnibus aliis orationis

tionis generibus commune sit, cuius vel summum artificem, nemo tam
poetam, vocandum putet; adeo, vt, si ab hoc recesseris, vaga
omnia futura sint, incerta, confusionis ac perturbationis plena.
Etenim si, H O R A T I V M fecutus, poetam solummodo eum vocaueris;

Ingenium cui sit, cui mens diuinior, atque or

Magna sonaturum:

quaero, quinam gradus statuendus sit ingenio, aut vigori sermo-
nis, vt iam oratorius esse definit, poeticus esse incipiat? Evidem
is non sum, qui negem, sensum hac in re, vt in caeteris artibus,
vt in ipsis orationis pariter ac carminum generibus, vt in modo-
rum cantuumque varietate distinguenda, ita hic quoque plurimum
valere: sed tamen nimis incertum est hoc discrimen, nimis vnius
cuiusque arbitrio obnoxium, quam vt satis tuto vnicce assumi queat.
Neque, eo admisso, quicquam tam poeticum erit, quin soluta
quoque in oratione, quae tamen nunquam, quamvis elata, quam-
uis splendida, poesis dicetur, locum habeat. Au^tor Dialogi de
Oratoribus, iam suo, nempe Vespasiani tempore, argentea fere
linguae latinae aetate, eaque inclinante ac degenerante, poeticis
aliquid coloris in Oratore dicit requiri, quasi necessarium, nec iam
poeticum. Quid sequentibus factum temporibus dicemus, vbi
nullum poeseos ac prosaiae orationis, nisi in numeris, reperiatur di-
scrimen? Nil de poetico vigore, imo tumore, APULEI fabulis de-
cedit; quem tamen inter poetas, quod ego sciam, retulit nemo.
Ac, si Graecos respicimus, poeticum plane spiritum PLATONIS
scripta trahunt, cuius locutio et incitati^s fertur, et clarissimis verbo-

rum

rum luminibus vtitur, vnde poetam fuisse agnoscimus, quod et scrip-
tores tradant; iis autem, qui ad nos peruenere, libris, poetae no-
men numquam est consecutus. Si magnificentia et sublimitate ab-
solutior poesis, qua ratione nostrorum quoque quidam summum
eloquentiae gradum eam faciunt; quid **VIRGILII** Bucolicis fiet,
cui, vt **HORATIVS** ait *,

*molle atque facetum
annuerunt gaudentes rure Camoenae?*

Quid **VIDII** Fastis, omnique operi elegiaco? Leues enim elegi,
tenues, atque exiles. Non ergo poeta **TIEVLLVS**? Non **PRO-
PERTIVS**? Non Satyrici **IVVENALIS** et **PERSIVS**? cum
hoc nomen in Sermonibus deprecatur **HORATIVS**. Ac profe-
sto, si artem poeticam ab incunabulis et natalibus suis repetieris,
dubitatio nulla supererit, quin numeri, propriam eius naturam,
et quasi primam vim legemque consituant. Musica enim haud
dubie mater poefeos, canendi modulandique voluptas, orationem
reperit, quae in modos conueniret. Ad tibiam cecinere pastores,
auium fortasse exemplo admoniti, atque incitati. Nulla tum ora-
tionis magnificentia, nulla sublimitas; non mens ditinior, aut os
magna sonans: plana omnia, simplicia, et pastorali vitae apta.
Cum autem ea res placuisse auribus humanis, coeptum est ad alia
studium hoc transferri. Hinc virtutis preecepta, et recte viuendi
confilia; hinc diuinae laudes; hinc Leges quoque ciuiles ac pu-
blicae; hinc fortia et praecolla maiorum facta, et id genus plura,
numeris inclusa legimus. Quae quidem poematum genera, potif-
fimur.

* *Sermon. I. 10. v. 44. 45.*

fimum adiuuandae memoriae causa inuenta fuerunt, et ut iuuentuti consuleretur, rerumque quasi quaedam austertas, numerorum dulcedine delinita et condita, veluti vehiculo in animos inuecta, firmius faciliusque adhaeresceret.

*Sic animis natum inuentumque poema iuuandis. **

Ea prima poesios ratio, ea carminum prima conditio consiliumque fuerant, cum deinde ad fictas quoque fabulas accommodaretur: ut hoc etiam inuolucro atque integumento, veritas latentius irreperet. Sic post illa variae poesios species modique creuere, cum diuersa rerum genera, diuersas carminum formas poscerent. Has origines progressionesque tragoeidiae habuerunt; has carmina epica, quae magnorum virorum praedclare gestis, has comoediae ac sermones, quae vitae ciuili; has elegi atque odae, quae commotionibus animi declarandis fouendisque, et variis casibus decantandis, seruirent ac responderent. Haec omnia poesi subiecta, ad haec numeri adhibiti, id est, poetica oratio. Hinc nata et nutrita poetarum licentia, non, nisi metrorum imperio et auctoritate, tuta, nec ulli condonanda, nisi quem numerorum leges, aliorum dicensi praeceptorum immunem, et veluti exlegem fecerint. Quis enim ferat in soluta oratione, poeticam, in verbis transponendis, producendis, contraliendisque, in epithetis mutandis, in multis aliis rebus, quae vel Grammaticorum, vel Philosophorum constitutae sunt regulis, negligendis infinitam libertatem et proteruiam. Poetis ista licent; aequa his data audendi quaelibet potestas, propter numeros unice, qui, nisi negligere eos, aut frangere velis,

cum

* HORAT. *de art. poet.* v. 377.

cum orationis *āngelis*, implacabili quippe odio dissidentes, consociari numquam possunt. His quoque remotis ac solutis, manet tamen semper poetica oratio, et vere poetica, quae innumerae ac solutae orationi non conueniat, et ex ea, huius licentiae intolerante, exsulare debeat. Quare recte se habet effatum illud CICERO NIS: *poetam affinem quidem oratori esse, sed numeris adstrictiorum, et verborum licentia multo ubiorem* *. Verum omnia ista quae nunc ad licentiam poetica pertinet, et quasi corpus iuris poetici constituant, olim ex numerorum nata necessitate, more rerum humanarum, in pulchrum et laudem verterunt.

Sed quorsum ista a nobis disputantur? quibus propositum est, poesin a cathedra atque a doctorum magistrorumque subselliis remouere. Siue enim cum HORATIO statueris, in vigore ac spiritu orationis sublimiori naturam et vim poeseos inesse; siue in numeris ac pedibus; siue, quod non contradicimus, in utroque coniuncto eam posueris: undique tamen apparebit, eam, scientiarum disciplinae atque artibus superioribus explicandis, adhiberi nec posse, nec debere. Quod ut probemus, principes illas leges, quae de rebus doctis bene et subtiliter differere praecipiunt, proponemus, ad quas poetica orationem conformari non posse facile appareat.

Sunt attem tres potissimum recte disputandi, ac de rebus eruditis differendi, leges, tam indissolubili inter se vinculo coniunctae, ut altera diuelli ab altera nequeat. *Primum*, ut perspicue ac dilucide; *deinde*, ut accurate diligenterque; *tertio*, ut simpliciter, tenuiter,

* de *Orat.* I, 70.

ter, ac modeste scribamus. Nulla istarum legum, sive ad numeros, sive ad spiritum quendam vegeti sermonis, vis poeticae referatur, in poeticam dictio[n]em cadit.

Perpicuitas autem, quam primo loco obseruandam esse diximus, in eo potissimum occupata intelligitur, vt verba non modo v[er]sata, verum etiam ea, qua v[er]sata et recepta sint, sententia et potestate adhibeantur; neque alio ordine, quam quem usus linguae praescriperit, locentur et concinnentur; vt nihil pro altero ponatur, non pars pro re tota, non pro effecto causa, non pro forma genus, ac vicissim, et alia id genus plura, quorum permixtatio dialecticarum aut grammaticarum figurarum nominibus notatur magis, quam excusatur. Porro quoque in nexu verborum et ordine cauendum, ne manca quaedam maneat ac imperfecta, ne aut omissa desiderentur, aut redundantia, aspera et inter se dissimilia moueant fastidium lectoribus, ne difficiles longioresque parentheses, quaeque hyperbata vocantur, perpetuatatem orationis aut rumpant, aut morentur et diffineant. Horum praecceptorum quam memores poetae, quam obseruantes sint, haud profecto me interprete eget, vt arguatur. Nulla figura tam audax est, quin vel in tenuissimo carminum genere locum inueniat. Nullae vel Dialetices, vel Grammaticae leges, tam sanctae, quin poetis eas vel in singulis verbis, vel in continuatis perfringere liceat. Nemo efflagitabit, vt haec exemplis probem, quibus referti sunt libri poetarum, quos in manibus habemus. Illud periti obseruauerint haud dubie, nulla carminum genera pleniora istis licentiae documentis esse, quam in quibus doctores agant poetae. Durior in Georgicis VIRGILIVS, quam in Aeneide. Asperior NASONIS in Fa-

stis,

stis, quam in Metamorphosibus, oratio. Austerior, quin horridior cunctis, philosophus ille poetarum, siue poetam inter philosophos dicere malueris, **LVCRETIVS**, magis etiam archaismis abundans, cum **CICERONI** aequalis esset, quam ipse **TERENTIVS**, tot actatibus prior. Cuius rei causa nulla reperietur, nisi ipsum argumentum carminis impatiens, quod eum torcit atque vexauit. Et ea ipsa quidem licentia, siue metrorum necessitate imperioque defendatur, siue rerum ac dictio[n]is magnificentia leuiores verborum curas spernat et negligit, perspicuitati tamen infesta atque aduersa, poetas merito ex doctorum et historicorum numero excludit. Si iam profacos Scriptores, et vel maxime **LIVIVM**, exquisita verborum elegantia, et scribendi artificium, in suspicione fidei vocavit, quid poetica elegantia fiet, cui omnes rerum verborumque leges cedant et subiacent? Quid? quod etiam noua verba poetae suo iure fingunt? * Quod peregrina vernacula immiscent, et fabulosis epithetis doctrinam ostentant? Quod verba flectendo ac detorquendo corrumpunt et infringunt? Quae omnis illimitata libertas, ad priuilegia et ius publicum poetarum, ut ita loquamur, pertinet.

Diligentia atque *axi⁹/βεια*, alterum locum inter scribendi de rebus doctis leges tenet. Eius vis cernitur in eo, ut omnia distincte explicentur, nullae inter se res confundantur et permisceantur, sed quo ordine aut gestae sint, aut intelligi una ex altera possit, hoc propositae exponantur; neque ex opinione vulgari ac populari, aut ex fallaci nonnunquam oculorum auriumque sensu et specie, sed ex sua natura, ex acutis ratiociniis, argumentisque

B 2

sub-

* **HORAT.** *art. poet.* v. 47. seqq.

subtilibus conformatae tradantur; vt dilucide ac recte definiantur;
vt secundum genera et formas accurate diuidantur; incerta ex certis,
obscura e perspicuis, certo et perspicue ducantur et demonstran-
tur. At istius diligentiae num poetae unquam capaces vel pares
existimandi sunt? quibus non acutae philosophorum astronomo-
rumque obseruationes, sed populares opiniones sequendae? Haud
vero simile est, **HORATIVM** et **VIRGILIVM** plane ignorasse,
et ultra aequatorem habitari orbem, solisque splendore et alterum
hemisphaerium collustrari: et tamen, vbi ad has res explicandas
ventunt^r est, loquuntur cum populo, speciem oculorum sequuntur,
fabulas, aut dicendi formas ex iis repetitas, proferunt. Quam
quidem vel grauissimam causam habemus, cur a doctorum subsel-
lis putemus ablegari poetas oportere. Nolo iam disputare illud,
an sine fictionibus fabulisque stare vlla poesis queat? Quod si fieri
nequit, cum vigoris certe, sublimitatis, pulchritudinis atque amoe-
nitatis, ingenii quoque et copiae plus dimidia parte, poetis, hoc
quasi patrimonio adempto, depereat; recte viri docti, et **ENNIVM**, et **LVCANVM**, et **SILIVM** quoque reprehendere, veras
historias scribere, et fictionibus suis ausos contaminare atque infu-
care. Multum etiam huc faciunt crebrae numinum inuocationes,
quibus, vt nihil aliud commemorem, **LVCRETIVS** certe, si so-
luto sermone scribebat, pepercisset; cum non illius disciplinae asse-
cla, aut eius doctrinae interpres esset, quae Veneri multum tribuer-
et. Neque **VIRGILIVM**, credo, si de re rustica **VARRONIS**
modo traderet, numina, imo ne ipsum quidem Augustum, inuo-
caturum fuisse; aut tot Georgicis suis, in quibus omnino episodia
poetica multo plus occuparunt, quam rei rusticae explicationes,

fabu-

fabulas, de Ioue, de Cerere, de Aristaeo, intexturum. Sunt haec indigna doctore, atque ab ultimis temporibus, omnem verae religionis, omnem fanae philosophiae, incorruptaeque rerum memoriae fidem rationemque corruperunt et deformarunt. Sed, vt ab ipsis fabulis vel maxime abstineat poeta, a dictione quidem fabulosa, id est, a formis loquendi, et epithetis rei fabulari vnicet aptis, haud commode abstinebit. Quis praeterea poetam legit subtiliter diuidentem, genera ac formas loquentem, sollicite verba captantem atque explicantem? Quis rerum ac sententiarum ordinem eum, quem disputandi ratio postulat, a poeta requirat, aut ferat adeo? Nullum maius vitium carminis, quam vt sine omni vitio sit, nimirum, vt aperta omnia, elaborata, anxia, inornata ac simplicia sint, vt nil pro altero positum, nil omnissum, nil additum reperiatur. Quomodo ergo poesi cum doctrina conueniet, cum, quae summa huius laus et virtus, summa illius vituperatio sit?

Restat tertia bene differendi legum, quae ad simplicitatem et tenuitatem pertinet. Ea lex vetat vti genere oratorio ac sublimi; vetat vti tropis ac figuris audacioribus; vetat animi vehementiores motus aut ostendere, aut in aliis excitare; vetat exclamationibus, miseratione, aliquaque concitationum generibus animos commouere atque inflammare. Sed haec omnia, quam absurdia et $\alpha\pi\gamma\sigma\sigma\delta.\circ\gamma\omega\alpha\epsilon$ in eo fint, qui res eruditas, et ad scientiarum ambitum pertinentes, pertractandas sibi sumferit, tam necessaria, et nullo modo omittenda sunt poetae vel tenuissimo. Sine his Bucolica, sine his Elegi, sine his Comoedia ipsa, frigent. Quin hic est ipse locus, quo illustrando plane supersedere possimus, cum ab HORATIO *

B 3

iam

* Sermon. 1. c.

iam satis explicitus sit, qui carminibus, tenuiori quidem filo deductis, omnem poeticam vim, ipsumque adeo carminis honestissimum nomen abiudicat, *quod acer spiritus as vis, nec verbis, nec rebus ineſt.*

Hactenus contra poetas disputauimus, causasque, quare eos tradendae scientiarum disciplinae impares existimemus, attulimus. Supereſt, vt nunc eos quoque audiamus, qui causam illorum fuciſſere, argumentisque non contemnendis defendere forſan poſſint. Ac primo, dubitandum haud eſt, quin tales vires, tales et poeticæ et omnis doctrinae liberalis artifices, qualem **VIRGILIVM, HORATIVM, LVCRETIVM** admiramus, tali ingenio, tali elegan‐
tia praediti, quod cuique rei genus dicendi aptum eſſet, probe per‐
ſpexerint, nec omnino res eiusmodi carminibus amplexuri fuerint
atque illustraturi, niſi per vtriusque, et poeticæ, et disciplinae
naturam atque leges, id commode fieri poſſe intellexerint. Quodſi
deinde, quomodo, et quibus ſcriperint, cogitauerimus, metuēmus
propemodum ſede eos ſua pellere, quam per tot ſaecula, tanta
cum gloria et dignitate, tenuerunt. Sed falua res eſt. Non illi
vtique eo consilio, vt docerent, vt diſſererent, carmina iſta ſcribe‐
bant; ſed vt illuſtrarent, vt ornarent, vt ingenii copias explicarent,
vt orationis facundiam declararent. Itaque et eiusmodi materiam
traſtauerunt, quae et ſententiarum et verborum caperet ornamenta,
et numerorum legibus non repugnaret. Nemo enim Arithmeti‐
cam, aut Geometriam, aut Dialecticam, aut Metaphysicam verbi‐
bus amplexus eſt; ſed aut Hiftoriam, aut Geographiam, quae am‐
bae, vel **HOMERI** exemplo, poetice deſcribi poſſent, et memo‐
riae quoque, ſic illuſtratae, magis inſiderent, aut Philosophiae
partes eas, e quibus ſententiarum amoeniffimarum lumina ex‐
pleni.

splendescerent. In his ipsis quoque argumentis, eas tantum partes selegere et illustrauere, quae poeticum ornatum ferrent. Quod quidem tanto iustius iis licebat, quanto magis ab omni docendi proposito essent alieni, quo non modo excusati, sed reetius quoque, omnes sententiarum verborumque figuras rebus istis adhibebant, iis vnicē placituri, qui sanguine, ingenio, doctrinaque nobiles, ista facili negotio intelligerent, facile poetica additamenta agnoscerent. Non profecto, et si hoc profitebatur, ignorarō viae agrestes miserari volebat MARO, sed Augustum et Maecenatem oblectare. Non Romanos iuuenes, plagosis Orbiliis subiectos, antiquitates patrias docere volebat OVIDIUS, sed Germanico Caesari placere. Non denique rudes Epicureae rationis instituere, verum Memmio, Ciceroni, Caesari, aliisque omnis philosophiae principibus probari carmina sua LVCRETIVS cupiebat. Interim, tantis scripta sua thesauris vtriusque linguae, omnisque doctrinae historicae et grammaticae, tantis ingenii copiis, et bene viuendi praeceptis ditauere, ut nec esse indoctus debeat, qui recte vti iis velit, nec indoctus recedat, qui recte explicandis operam dederit.

Sed haec, et multa insuper alia, melius in ipsorum poetarum lectione atque interpretatione obseruanda, sicut excitare praeclera iuuenium ingenia possunt, ut legendis cum sensu poetis mature se adsuefieri patientur: ita eos, quorum opera academicæ iuuentutis studia regenda ac conformanda sunt, admonere hortarique debent, ne in tam egregio atque necessario instituto commilitones deferant, sed adiuuent potius, excitent, ducent, ac gubernent. Cuius prouinciae ratio quanto difficultor, quanto amplior

amplior est, tanto maiore nunc metu atque haesitatione animum
meum commouit, cum auctoritate, imperio potenti, ac venera-
bili prorsus indulgentia

F R I D E R I C I A V G V S T I

Potentissimi Regis, Serenissimi Electoris, Optimi Principis, Patris
Patriae Clementissimi, poeseos publice docendae munus in hac
Academia impositum mihi fuerit. Quod quidem animo gratissimo
deuinctissimoque lubens agnoui, et vel parendi causa vltro ala-
cerque accipio, eoque alacrius, quod insigne hoc beneficium,
ab Augustissimo Rege in me collatum, cum studiorum meorum ra-
tione, quam integris sedecim annis adprobare celeberrimae huic
Academiae studui, optime conuenit. Sed, quanto honorificen-
tius hoc beneficium, quanto ambitiosior haec prouincia, quanto,
vt hoc quoque addam, maior auctoritas ac fama fuit eius, qui
hoc munus ante me sustinuit: tanto magis orandi sunt Patres
Academiae, et Commititonis optimi, vt nostram, iuuandis literis,
operam, etiam imposterum, quod adhuc fecisse eos grati me-
minimus, benevolentia sua et fauore prosequantur. Eius rei
quasi omen die XII. Februarii captaturi sumus, qui Orationi
aditiali noui muneris nostri destinatus, rogare nos iubet vehe-
menter, vt *Rector Academiae Magnificus, Illustrissimi Comites,*
vtriusque Reipublicae Proceres, caeterique, natura et litterarum
studiis illustres Academiae Cives, condecorare eum diem sua fre-
quentia; nosque, de Oratore Poetae finitimo, verba facturos,
benebole audire, et ad omnia officia, ad alacritatem praecipue
muneris obeundi, excitare sua praesentia velint. P. P. Domin.
Septuages. A. C. c i o i o c c l v i i .

๙ ๙ ๙ ๙ ๙

Aug VI 57(1)

ULB Halle
003 711 420

3



f
IA-70
nur 4. Stck verknüpft

Pkt. 1



DE POESI

16

SCIENTIARVM DISCIPLINAE ACCVRATE TRADENDAE

NON APTA

PROLVSIO

QVA

AD AVDIENDAM H. L. Q. C.

D. XIL FEBR.

ORATIONEM ADITIALEM

PROFESSIONEM POESEOS ORDINARIAM

AVSPICATVRVS

INVITAT

CAROLVS ANDREAS BEL

A. M. COLLEG. MIN. PRINC. COLLEGIATVS, ET

NATIONIS BAVAR. SENIOR

LIPSIAE

EX OFFICINA LOEPERIA.

of. Ich. Orr. Schwarzy. Oratio que Atrevis institutio magis a Poetis
quam a Philosophis potesta esse negatur; Coburg. 1727.

